

*Ad generum Cereris sine cade & sanguine pauci
Descendunt reges, & siccâ morte tyranni.*

Clementiæ in defectu opponitur nimia indulgentia,
quâ quis in puniendo deficit.

S C H O L. Hinc illud:

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Exemplum habemus in Eli sacerdote, 1. Sam. 2. v. 22. in
Saule, 1. Sam. 15. v. 9.

~~~~~

### Cap. XVII. De Philefychia.

**P**hilefychia est virtus, qua homo studet tran-  
quillè & concorditer vivere.

S C H O L. Latinè Concordiam dixeris; quæ virtus  
ideò dicitur, quòd ab ea profluunt actiones honestæ &  
laudabiles, videlicet studium pacis, & odium disensionis  
& pugnæ. Hinc Germ. Der mann ist weis, und wolge-  
lehrt. Der alle ding zum besten lehrt. Hic autem concor-  
dia significat non convenientiam cordium & animo-  
rum, verùm habitum per quem homo inclinatur ad pa-  
cem, qui habitus Græcè conveniente vocabulo φιλησυ-  
χία dicitur. Concordia igitur, ut hoc in loco accipitur,  
nō est improborum, sed duntaxat proborum, Arist. lib. 7.  
Eudem. cap. 7. & lib. 9. Ethicorum Nicom. Notetur Sa-  
lustii dictum: Concordiâ parva res crescunt, discordiâ ma-  
xime dilabuntur. Et, Omne regnum inter se divisum cor-  
ruit, juxta dictum Christi, Luc. 11. v. 17. Commemoratur  
exemplum Scyluri Scythæ, qui moriturus octoginta suis  
filiis jaculorum fasciculum porrexit, & singulos, ut con-  
fringerent, jussit. Hoc cum singuli recusassent, eò quòd  
impossibile videretur, ipse singula jacula exemit, & facilè  
confregit, additis his verbis: Si concordēs eritis, invicti  
manebitis; si discordēs, expugnati faciles. Autor est Plu-  
tarchus in Apophthegmatibus.

2 In